



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Controversia III. De Argumentatione seu aggeneratione substantiali, &
Accidentali accretione.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

mediam inter annihilationem, & corruptionem, & sicuti defendunt actionem, ex vi cuius educitur forma ex materia in primo instanti, in quo materia creatur, non esse generationem, quia non est mutatio ex defectu subiecti prius tempore precedentis, neque creationem, quia est dependens à subiecto, sed mediam quamdam actionem, quæeductio dicitur: eadem ratione affirmant defitionem formæ dependentis à subiecto, quam comitatur defitio subiecti in eodem temporis instanti contingens, non esse annihilationem, quia non est defitio rei independentis à subiecto, neque corruptionem, quia non est mutatio generationi opposita, ex vi cuius subiectum transeat à forma ad negationem formæ, ex defectu subiecti subsequenter, seu existentis in instanti temporis, in quo negatio, seu non esse formæ existit.

3 Nos, qui asserimus de ratione generationis non esse mutationem, neque quod subiectum prius tempore præcedat priuatum formam genitā, constanter tenemus non esse de ratione corruptionis ut subiectum remaneat aliquo tempore priuatum forma corrupta, quia sicuti impertinens est ad actionem positivam in hoc instanti dependentem à subiecto, subiectum tempore immediatè præcessisse, ita impertinens est ad hanc defitionem actionis, seu ad hoc actionis non esse, subiectum immediatè post formam permanere, seu existere in instanti, in quo existit non esse actionis, quia hoc cum sit purum nihil, & strictè loquendo non possit dici ipsum esse, sed potius non esse, quia non esse seu negatio actionis, nihil aliud importat, quam ipsam actionem non existere, quod nullo modo dependet à subiecto, neque huius existentia necessaria est ut sit non esse actionis dependentis ab illo, potius ex negatione subiecti rectè inferitur non esse actionis dependentis à subiecto.

4 Ad argumentum supra adductum respondeo: casu, quo materia, & forma equi simul desinerent, formam quatenus est ex se definire in aliud, videlicet in subiectum, quia tunc defitio subiecti per accidens comitaretur defitionem formæ, quia hæc non illam exigebat, neque ex eo quod sit formæ defitio per locum intrinsecum inferatur à priori defitio subiecti, quia formā deficiente potest permanere subiectum vel sine aliqua forma, vel cum alia adueniente, quod si alia non aduenierit, hoc non est ratione formæ definentis, quæ non impedit, dum desinit, aliud cuiuscumque aduentum.

5 Solet inquiri, an corruptio intendatur propter se à natura, in qua re assero agens liberum posse per se intendere corruptionem formæ accidentalis, quam ipse liberè conseruat, quia potest velle cessare ab actu amoris vel cognitionis non intento alio actu opposito, sed tantum propter disconuenientiam, quam apprehendit in actu voluntatis, vel intellectus, alicuiusve sensationis, reliqua verò agentia naturalia numquam per se corruptionem intendunt, sed generationem: ignis enim cum destruit lignum, tantum intendit productionem formæ ignis, quia tamen forma ligni impossibilis est cum forma ignis, corruptio ligni sequitur ignis generationem. Quomodo generatio vnius sit corruptio alterius, & quis sit ordo inter generationem, & corruptionem, explicui iam Controuers. 8. Physicor. Punct. 3. §. 2.



CONTROVERSIA III.

De augmentatione, seu aggeneratione substantiali & accidentali accretione.

AUGMENTATIO, seu aggeneratio substantialis est actio, quæ substantiale compositum fit maius per quamdam quasi partialem generationem, quam aggenerationem multi, præcipuè ex recentioribus appellant, ex vi cuius acquirit nouam partem substantiæ, seu compositi, secundum quam augetur, idè postquam egimus de generatione totali, nunc agimus de partiali generatione, seu augmentatione substan-

tiali compositi. Hanc augmentationem, seu aggenerationem substantialem consequitur alia accidentalis augmentatio, seu accretio, quæ est acquisitio quantitatis, ex vi cuius compositum fit maius quantitatiuè, seu nouam quantitatem acquirit, quæ præcedenti vnita maiorem complet quantitatem, quam compositum acquirere dicitur per hanc accretionem, quia acquirit portionem illam, quæ in ratione maioris complet quantitatem, de vtriusque augmentatione in hac Controuersia sermo erit propter vtriusque affinitatem, & connexionem.

PUNCTUM PRIMUM.

Definitur augmentatio, & diminutio.

AUGMENTATIO substantialis definitur: *Motus à minori in maiorem substantiam*, cui opponitur diminutio, quæ est *motus à maiori ad minorem substantiam*. Terminus ille *minor substantia*, qui in priori definitione ponitur, tanquam terminus à quo, & in posteriori tanquam terminus ad quem dicitur duo, vnum positivum, negatiuum aliud: positivum est substantia illa, quæ minor denominatur: negatiuum est negatio quædam partis superadditæ positivæ præexistenti, ratione cuius minor denominatur, & per quam formaliter minor constituitur. In vtriusque definitione intelligendus terminus ille *minor substantia*, secundum rationem negatiuum quam dicit, per quam formaliter substantia minor constituitur, ita ut terminus à quo augmentationis, & terminus ad quem diminutionis, qui significantur hoc concreto *minor substantia*, formaliter ut termini tantum importent quid negatiuum, hoc est negationem alius termini, quem respicit augmentatio. Ex hoc inferes augmentationem esse motum à negatione partis subiecti ad acti ad nouam partem, secundum quam viuens augetur: verò sit ad illam secundum se, seu ad illam ut acquisitam, seu ad illius acquisitionem, seu unionem postea dicam. Eadem ratione diminutio ordine inuerso eodè respicit terminos. Augmentatio, & diminutio vtrumque terminum à quo, & ad quem, essentialiter dicit, cui necessaribz addit mutatio, licet generationi accidentaliter contingat ratio mutationis, & accidentalis sit respectus ad terminum à quo, ad negationem videlicet in subiecto præcedentem, hoc de augmentatione nequaquam dici potest, quia nulla pars ex his, quæ producuntur in instanti in quo primò gignitur compositum est illius augmentatiua, sed primò constitutiua, dicit enim augmentatio additionem supra id, quod prius tempore habuerat subiectum illud, cui fit additio, quæ additio, essentialiter importat negationem præcedentem rei additæ. Eadem ratione diminutio dicit ablationem partis à toto, quod remanet, quia si in eodem instanti, in quo pars hæc destruitur preteritæque compartes, & totum corruptum, totum non dicitur diminutum, sed destructum.

Contingunt sæpe in eadem mensura temporis augmentatio, & diminutio secundum diuersas partes subiecti quæ aliquando ita fient, ut tanta sit portio substantiæ per augmentationem acquisita, quanta sit deperdita per diminutionem in quo casu videtur augmentationem non esse motum à minori ad maiorem substantiam, neque diminutio à maiori ad minorem siquidem vtroque motu posito tanta erit substantia, quanta fuisse in instanti præcedenti vtriusque motum simul factum. Quod si contingat plus substantiæ acquiri per augmentationem quam per diminutionem deperditur, diminutio non erit motus à maiori in minorem substantiam, siquidem in eodem instanti, in quo fit diminutio substantia fit maior: si verò plus deperdat per diminutionem, quam per augmentationem requiritur, aggenerationem non erit motus à minori ad maiorem substantiam, quia in eodem instanti, in quo fit augmentatio substantia fit minor: videtur ergo non rectè definitam esse augmentationem, & diminutionem. Cæterum si inspiciantur termini formales, quos supra augmentationi, & diminutioni assignaui, constabit integros in casibus adductis subsistere, semper enim augmentatio habet pro termino à quo negationem partis, quæ per illam acquiritur, & pro termino ad quem partem acquisitam, & diminutio habet eadem

eadem ratione pro termino ad quem negationem partis, quæ deperditur & pro termino à quo partem positiuam in hoc instanti deperditam, & in precedenti existentem, & propriam substantiæ, quæ minuitur. Hi termini in augmentatione assignati per se loquendo, substantiam constituent maiorem, si per accidens ex alio capite non minuantur, & absolute constituunt illam maiorem, quam esset si in illo instanti non contigisset, motus augmentationis illos respiciens, quod sufficiens est ut talis motus dicatur à maiori in maiorem substantiam, licet aliquando per accidens non constituatur in illo instanti augmentationis substantia maior, quam fuerat in precedenti ratione diminutionis. Idem inuerso ordine dicito de diminutione, quæ per se substantiam constituit minorem si aliunde per accidens respectu diminutionis illius iactura non compensetur per augmentationem, quæ in illo instanti contingat, & absolute semper constituit minorem substantiam, quam esset in illo instanti, si talis motus diminutionis non accidisset.

Augmentatio substantialis contingit in substantia viuente, & non viuente: augmentatio substantiæ non viuenter nomine generico augmentationis contenta est, augmentatio viuenter substantiæ nutritio dici solet & inter utramque magnam intercedit discretio. Augmentatio non viuenter fit per iuxta positionem, pars enim secundum quam fit augmentum applicatur certæ parti corporis aucti, & secundum illud latus augetur corpus non viuens ut contingit in lapide, quem videmus maiorem fieri versus unam partem, & versus aliam inuariatam permanere: viuenter augetur non per iuxta positionem vnus partis, sed vniformiter difformiter secundum omnes partes ita ut in eodem tempore, in quo vna pars aliquota augetur reliquæ omnes aliquotæ augentur proportionem seruata inter augmentum, & partem auctam, magis enim augetur pes, quam nasus, quia pes maiorem terminum augmenti habet, quam nasus, in eadem tamen temporis mensura, in qua nasus vltimam ipsius termini mensuram adimplet, pes proprium ipsius terminum complet, & sic de reliquis partibus, omnes enim in eadem temporis mensura ad perfectum augmenti statum perueniunt. Hic modus augmentationis exposcit in viuenteribus quamdam attractionem alimenti, quæ applicatur intimis illius partibus, ut in omnibus modo explicato vniformiter difformiter fiat alteratio. Hæc applicatio fit in sensitiuis per intrinsecum sumpcionem, hoc est, per sumpcionem alimenti, quod viuens in ore dentibus conterit, & salua alteratum in stomachum mittit in quo fit prima coctio alimenti, quæ est secunda alteratio, virtute cuius pars quædam alimenti in substantiam quamdam albam conuertitur, quæ dicitur chylus, & pars altera excrementitia in intestina mittitur. Deinde chylus per venas, quas mæsaraicas Medici appellant in iecur mittitur, ubi fit secunda coctio, quæ est tertia alteratio, maioremque expurgationem cibus accipit. Iecur chylum in tres substantias elaborat, quædam est terrefractor alius nature atræ bilis, quæ descendit à iecore in lienem, & illum nutrit: lenior est nature cholericæ, seu fluxæ bilis, quæ quasi spiritum supernat, & ascendit ad folliculum, seu vesicam felleis: Tandem substantia media est coloris rubri similis iecori, quæ per venam cauam in reliquis partes corporis traicitur, in quibus fit tertia coctio, quæ est quarta alteratio, per quam vltimo in substantiam viuenteris alimentum conuertitur.

In quibusdam viuenteribus augmentationibus producit nova pars formæ ut contingit in augmentatione equi, in qua pars formæ, quæ introducit in alimentum materiam distincta est à forma præexistente, & in ipso nutritionis instanti producit nova pars modi vnionis inter formam præexistentem, & materiam alimentum, ad quam per nouam vnionem materia antiqua extenditur, ut contingit in nutritione hominis, in qua eadem indiuisibilis forma rationalis, quæ antea materiam antiquam informabat, denud materiam informat alimentum. Cæterum augmentatio non viuenteris aliquando contingit cum productione nouæ partis formæ, & modi vnionis inter formam productam, & materiam illius substantiæ, ex qua fit præexistens augmentum, ut contingit cum ignis augetur ligno præexistenti. Aliquando in non viuenteribus augmentatio contingit sine noua productione partis formæ, aut partis modi vnionis essentialis, sed tantum per vnionem eiusdem compositi cum alio eiusdem rationis, ut videre est quando am-

phora quædam aquæ cum alia permiscetur, & per vnionem augetur, tunc enim maior pars seu compositum, quod maius erat dicitur auctum, & portio alia, quæ per vnionem pars est effecta, & erat compositum minus alio, augmentum dicitur, quod si vtrumque compositum ante vnionem erat æquale, vtrumque mutuo per alterum augetur. Augmentatio, in qua producit nova pars formæ, aggenerationis formæ; & illa in qua producit nova pars modi vnionis essentialis, aggenerationis vnionis essentialis dici solet, siue forma, & vnio pertineant ad compositum viuens, siue non viuens. Tandem aduerte vtramque aggenerationem tam viuenteris, quam non viuenteris satis improprie vocari ab aliquibus nutritionem, ut eam distinguant ab aggeneratione accidentalis, seu accretione quantitativa, quam absolute augmentationem appellant, communis tamen loquendi modus nomine augmentationis absolute prolato vtitur ad significandam substantialem augmentationem communem substantiæ viuenti, & non viuenti, idemque nomen tribuit augmentationi non viuenteris specialiter sumptæ, & nomen nutritionis viuenteris augmentationi referuat, augmentationemque quantitativam appellat augmentationem accidentalem seu accretionem.

PUNCTUM II.

Quas actiones contineat, & in qua formaliter consistat augmentatio.

Nonnullas actiones, ex his, quæ in augmentatione tam viuenteris, quam non viuenteris reperiuntur, Puncto precedenti insinuavi, exactè modò omnes annumerabo, & definiam in qua illarum augmentatio substantialis tam viuenteris, quam non viuenteris consistat.

Mitto alterationes præuias, ex vi quarum producantur dispositiones ad augmentationem substantialem, hanc enim ab illis distingui probant rationes omnes, quibus stabilimus alterationem distingui à generatione. In augmentationibus viuenteris quorum forma indiuisibilis non est reperitur productio nouæ partis formæ, & in augmentationibus non viuenteris, quæ non sunt præcisè per vnionem compositorum eiusdem rationis præexistentium ante nutritionem. In augmentatione horum non viuenteris, sicuti non producit nova pars formæ, ita non producit nova pars vnionis essentialis inter materiam, & formam quas acquirit substantia aucta: in omni verò augmentatione, in qua producit nova pars formæ, & in omni viuenteris augmentatione, etiam si noua pars formæ non producat, sed antiqua extendatur ad nouam partem materiæ semper producit nova pars modi vnionis essentialis inter materiam alimentum, & formam partem denud productam, vel totalem formam indiuisibilem antea præexistentem. Reperitur etiam in omni augmentatione alio per quam producit vnio materiæ substantiæ auctæ cum vnione materiæ alimentum, seu substantiæ, quæ augmentum dicitur. Reperitur insuper in omni augmentatione actio productiua vnionis integralis inter vnionem essentialem præexistentem, & partem vnionis essentialis, quæ in omni nutritione producit, & in augmentatione non viuenteris, in quibus producit nova pars formæ, vel inter duplicem vnionem essentialem substantiarum, quæ mutuo augentur, vel vna augeri dicitur per vnionem ad aliam eiusdem omnino rationis, quæ dicitur augmentum eo præcisè, quod fit minor alia. Tandem reperitur in augmentatione non viuenteris, & in augmentatione viuenteris, quorum forma diuisibilis est, actio terminata ad vnionem integram formæ substantiæ auctæ cum parte formæ acquisita.

Rationem augmentationis abstrahentem ab omni augmentatione non posse constitui in productione nouæ partis formæ, neque in productione nouæ partis modi vnionis manifestum est, quia in augmentatione hominis non producit nova pars formæ, neque in augmentatione aquæ noua pars modi vnionis producit, neque actio terminata ad vnionem essentialem aquæ modo vitæ præexistens ante aquarum vnionem potest dici formaliter augmentatio, quia tempore præcessit augmentationem, & propter rationem, quam dabo ad excludendam à ratione formali cõpletam augmentationis actionem productiuam nouæ

nouæ partis modi vnionis. Similiter statuo tanquam certum non sufficere ad rationem formalem augmentationis actiones terminatas ad nouam partem modi vnionis, & ad vnionem integram materiem, & vnionem integram formæ antiquæ cum parte vnionis denuo acquirenda, siue sit modò producta vt contingit in augmentatione ignis, & in nutritione equi, siue producta præexistisset vt accidit in augmentatione aquæ, si deficiat alia actio terminata ad vnionem integram vnionis essentialis substantiæ auctæ, & substantiæ quæ dicitur augmentum, scilicet partis illius substantiæ, vel compositi, quæ antiquo accrescit. Sit ratio: Posita noua parte formæ vniti antiquæ præexistenti, & noua parte materiæ, etiam vniti materiæ præexistenti, dum vniones essentialis non vniantur integraliter, compositum antiquum, v.g. equus, non est auctus: ergo illæ actiones non sufficiunt ad augmentationem. Antecedens probō: Equus (sic loquere de quocumque composito etiam non viuente) essentialiter dicitur materiam, formam & vnionem: ergo vt sit vnus equus debet includere vnā materiam, formam vnā, & vnā vnionem: ergo tota vnio, quæ pertinet ad vnum equum debet esse vnita aliās non erit vna, sed duplex: ergo si noua vnio non vnitur cum antiqua, non fiet ex vtraque vna vnio, neque vnus equus. Confirmatur: Vnio integralis materiem denuo producta debet informari vnione formæ antiquæ, & partis formæ denuo productæ acquirite, seu forma antiqua, si indiuisibilis sit, sed non potest informari, si non producat vnitiū integrale vnionis essentialis antiquæ, & nouæ: ergo sine hoc vnitiū non potest resultare vum compositum ex materia noua, & antiqua. Probo minorem: informatio vnitiū materiem est vnitiū vnionum essentialium: ergo non producto vnitiū vnionum non datur informatio vnitiū materiem: ergo non est informata tota materia vnita: ergo materia vt informata non est vna, sed duplex. Siquidem non est informata illius vnio, per quam constituitur formaliter vna: ergo non potest constituere vnum compositum vt supra inferebam, quia ad hoc vt detur vnum compositum debet dari vna materia informata forma.

4 Ex his infero, ad augmentationem essentialiter requiri actionem terminatam ad vnitiū vnionum, & actionem terminatam ad vnitiū materiem, & actionem terminatam ad vnitiū vnionum essentialium, & vnionem terminatam ad vnitiū formarum videlicet formæ antiquæ, & nouæ partis formæ, si forma compositi augendi diuisibilis sit. Affirmo insuper in nutritione essentialiter includi actiones terminatas ad extrema harum vnionum, videlicet actionem terminatam ad materiam præexistentem, & actionem terminatam ad partem vnionis essentialis, quæ præexistenti vnitur, & actionem terminatam ad nouam partem formæ si compositum augendum forma diuisibili gaudet. Probo hanc conclusionem: Per nutritionem augetur compositum secundum materiam, & secundum vnionem, & secundum formam, si hæc est diuisibilis: ergo compositum vt auctum dicit augmentum materiæ, & vnionis, & formæ, si hæc est diuisibilis: ergo essentialiter dicit, ex parte termini nouam materiam, nouam vnionem, nouam partem formæ si diuisibilis est: ergo ex parte actionis dicit actiones terminatas ad nouam materiam, nouam vnionem, & nouam partem formæ si hæc est diuisibilis: ergo augmentatio essentialiter dicit has omnes actiones, neque refert materiæ productionem tempore præcedere augmentationem, quia non ex eo quod aliquid tempore præcedat aliud, & possit ab illo separari inferri non esse de illius essentia, quia materia prima tempore præcedit hominem, & ab illo separatur, & tamen est de illius essentia. Confirmatur: compositum nutritum, seu auctum non solum dicit ex parte termini acquisitionem augmenti, sed ipsum augmentum: ergo ex parte actionis non solum dicit actionem terminatam ad acquisitionem augmenti, sed ipsum augmentum. Sed augmentum consistit in noua parte materiæ, & noua parte vnionis, & noua parte formæ si hæc est diuisibilis, quæ adiungitur composito: ergo augmentatio ex parte actionis dicit actiones omnes quæ respiciunt hos terminos. Notare tamen oportet in nutritione, seu viuendum augmentatione, etiam omnes actiones supra dictæ sint de illius essentia, specialiter tamen actionem terminatam ad nouam partem formæ, & nouam partem vnionis intrinsecè & ex se ordinari ad nutritionem, quia non nisi in nutritione exerceri queunt;

secus verò se habet actio terminata ad materiam, vt iam explicio in non viuendum augmentatione.

In non viuendum augmentatione actiones respicientes materiam, formam, & vnionem, quæ denuo acquiruntur, existimo non pertinere essentialiter, intrinsecè & ex se ad augmentationem, licet hic & nunc huic augmentationi essentialis sint propter rationem dictam de nutritione, quia nulla actio habet terminum, qui ex se vel ex modo producendi sit augmentum, quia in non viuendum augmentatione ex eo precisè dicitur hæc pars substantiæ augmentum, quia vnitur alij parti, seu alij composito maiori, quod si minori vniretur, non diceretur augmentum, sed substantia aucta, et si alij aequali neutrum extremum vnitiū specialiter est augmentum, sed mutuo augeri dicitur. Quod si ignis partem aliam ignis producat quæ vnita videtur specialiter posse dici augmentum, quia efficienter ab illo extremo, cui vnitur procedit, & ita non potest esse res aucta, quia res aucta non potest procedere ab augmento, augmentum rectè dicitur procedere à re aucta: at totum hoc est per accidens respectu huius partis ignis secundum se sumptæ, & secundum modum, quo producit, quia eadem numero, & eodem modo producta potuit non produci ab igne, à quo de facto producit, & illi eodem modo vniri, quia pars ignis, cui præexistens ignis vnitur, non potest produci ab igne, cui est vnenda, vt illi vnatur, & eundem augeat. Pars verò viuens, eo ipso quod producat non simul cum aliis compartibus, & cum hoc modo producendi, quem habet specialiter nutritio, per intus summationem valde distinctum à modo producendi per feminis transmissionem, petit vniri principio, à quo procedit, & ita ex modo producendi habet esse augmentum sui principij, quod supponit existens.

Ultimò affirmo: rationem formalem vltimò constitutam augmentationis, non viuendum & viuendum, quæque nutritio dicitur, tantum consistere in actione terminata ad vnitiū integrale vnionis essentialis præexistens cum noua vnione acquisita. Probo hanc conclusionem: hæc actio est inseparabilis à reliquis omnibus actionibus, quæ pertinent ad essentiam augmentationis, & reliquæ possunt ab hac separari: ergo in hac tantum consistit ratio formalis, & completiua augmentationis. Priorem partem antecedentis, videlicet actionem hanc non posse ab aliis separari, sed illas supponere sic probō: hoc vnitiū integrale vnionum essentialium est informatio, media qua vnitiū formarum, si forma est diuisibilis, vel tota forma, si indiuisibilis est informat vnitiū materiem, & vnio essentialis inter vnitiū materiem, & vnitiū formarum (formæ antiquæ intellige, & partis formæ denuo productæ) si forma est diuisibilis, vel inter vnitiū materiem, & totam formam antiquam si indiuisibilis est: ergo supponit vnitiū materiem, & vnitiū formæ diuisibilis, vel totam formam indiuisibilem, tanquam modus supponit rem, cuius est modus: ergo non potest separari ab illis: ergo neque actio productiua huiusmodi integralis vnionum essentialium potest separari ab actionibus per quas producuntur vnitiū materiem, & vnitiū formæ antiquæ, & partis formæ denuo productæ, quando forma est diuisibilis: ergo neque potest separari ab actionibus, quibus producuntur extrema harum vnionum, quia sicuti implicat separari vniones ab extremis, ita implicat separari actiones productiuas vnionum ab actionibus productiuis extremorum; ergo actio illa, quæ est connexa cum omnibus aliis actionibus productiuis vnionum connexa est cum actionibus productiuis extremorum harum vnionum: ergo implicat actionem productiua vnionis integralis vnionum essentialium separari ab actionibus productiuis vnionis integralis materiarum, & vnionis integralis formæ antiquæ, & partis formæ denuo productæ si forma sit diuisibilis, & extremorum harum vnionum. Itaque modus integralis vnionis essentialis antiquæ cum noua vnione integrali denuo acquisita quatuor respicit extrema, quorum est modus. Duo sunt vniones essentialis quas vnitiū, quorum est vnitiū integrale, ex vi cuius resultat vna integra vnio essentialis, seu informatio: & duo alia sunt vnitiū materiem, & vnitiū formarum, quorum est essentialis vnio, seu informatio, si forma diuisibilis sit, vel vnitiū materiem & totam formam compositi, si hæc indiuisibilis est.

Torus hic discursus rem legitime concludit per inuitabiles illationes deductas ex eo quod vnitiū integrale vnionum

vnionum sit vnitiuum effientiale inter vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum, quod iterum confirmo. Vnitiuum materiae denuò productum debet informari, & vnitiuum formae diuisibilis denuò productum in augmentatione debet informare, sed nihil materiae est, quod informet vnitiuum formae productum materiae, & nihil formae, quod informet vnitiuum materiae, prater vnitiuum formae; ergo vnitiuum materiae informat vnitiuum formae: ergo debet dari informatio, seu vnio inter hae vnitiua, quae alia non potest esse, prater vnitiuum integrale vnionum, reliquae enim partes vnionis partes materiae, & formae respiciunt. Confirmatur: quidquid est in vnione essentiali est informatio: ergo vnitiuum integrale partium huius est informatio: sed tantum potest esse informatio inter vnitiuum materierum, & formarum: ergo est vnitiuum illorum. Maior per se patet; liquet minor in augmentatione aquae, in qua nihil denuò producit, quod informat, & informatur prater hae vnitiua.

8 Reliquas actiones posse ab hac separari facile probatur: possunt pars materiae adueniens, & pars adueniens formae vniri materiae, & formae praesentibus, & pars noua materiae informari noua parte formae, & non vniri integraliter vnio essentialis antiqua inter materiam, & formam antiquam cum noua parte vnionis essentialis; ergo actiones productiuae vnionis integralis materierum, & vnionis integralis formarum, possunt separari ab vnione integrali vnionum essentialium. Consequentia firma est, rectè enim valet: terminari separatur: ergo actiones. Antecedens probo: Vnio integralis materierum, & vnio integralis formarum non sunt modi respectu vnionis integralis vnionum essentialium, sed potius hae est modus respectu illarum, quae per hanc inter se vniantur vnione essentiali, ex vi cuius vnitiuum formarum informat vnitiuum materierum: ergo poterunt vniones integrales materierum, & formarum separari ab vnione integrali vnionum essentialium, licet hae non possint ab illis separari. Confirmatur: eodem modo se habet hoc vnitiuum integrale vnionis essentialis respectu vnitiui integralis materierum, & vnitiui integralis formarum, quorum est informatio, ac se habet pars vnionis essentialis respectu partis materiae, & partis formae, quarum est informatio, sed quaelibet pars materiae, & quaelibet pars formae possunt separari à parte vnionis essentialis, per quam pars materiae informatur parte formae: ergo eodem modo vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum possunt separari ab vnitiuo integrali vnionis essentialis. Vergetota materia, & tota forma possunt separari à tota vnione essentiali, ita vt hae non existant, & illae existant, sed in hoc casu vnitiuum partium formae, & vnitiuum partium materiae essent eadem, quae in augmentatione fuerunt producta, si compositum ante hanc separationem materiae, & formae esset auctum, & separarentur ab vnitiuo vnionis essentialis: ergo vnitiuum integrale materierum, & vnitiuum integrale formarum optime possunt separari ab vnitiuo integrali vnionis essentialis. Dices posse vnitiua integralia materierum, & formarum separari ab vnitiuo integrali vnionis essentialis, casu quo separantur partes formae, & partes materiae à partibus vnionis essentialis, non verò quando partes non separantur. Contra: vnitiuum integrale materierum, & formarum non respiciunt immediatè partes vnionis essentialis, sed vnitiuum illarum, ratione cuius inter se vniantur: ergo si possunt existere sine hoc vnitiuo, per quod vniantur, & vnitiuum formarum informat vnitiuum materierum, poterunt existere, siue existant partes vnionis essentialis, per quas vniantur partes materiae cum partibus formae, & hae illas informant, siue hae partes vnionis essentialis non existant. Confirmatur: omnes partes huius vnionis diuisibilis, quae modo est inter materiam, & formam equi possent existere de potentia absoluta corrupto aliquo indiuisibili vnitiuo integrali illarum, quia ab illo distinguuntur tanquam res à modo, sed illo indiuisibili corrupto indiuisibile materiae, & indiuisibile formae, quae vniebantur indiuisibili corrupto permanent non vnita inter se, & reliquae partes formae, & materiae cum eadem vnione, quam antea habebant: ergo rectè possunt separari vnitiuum partium formae, & vnitiuum partium materiae ab vnitiuo vnionis essentialis inter materiam, & formam, etiam si partes materiae, & partes formae non separantur à partibus vnionis, & consequenter poterunt omnes partes materiae informari partibus formae, & aliquod vnitiuum materiae non in-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

formari, neque vnitiuo formae, quo erat informandū quando forma esset diuisibilis, neque forma adaequata qua naturaliter debet informari, si forma compositi indiuisibilis est.

Obicit. Per eandem actionem producuntur pars vnionis essentialis, & illius integrale vnitiuum: ergo non potest produci pars vnionis essentialis, quin producatur illius integrale vnitiuum. Mala argumentatio: do per eandem actionem produci partem, & illius vnitiuum quando de facto vnitiuum producit, nihilominus negari non potest partem posse produci sine vnitiuo quod tu dicis produci per eandem actionem cum parte, quando de facto producit, quia hae pars vnionis essentialis, quae producitur integraliter vnita alteri, quādo producuntur sex partes vnionis, posset non vnita produci, si tantum produceretur quatuor partes vnionis, seu vnio essentialis conitans quatuor partibus: ergo certum est hanc partem vnionis potuisse produci sine illo vnitiuo integrali, ex vi cuius vniretur alij parti vnionis essentialis. Quod si eadem actio indiuisibiliter sumpta esset productiua partis vnionis essentialis, & vnitiui integralis eiusdem, eadem vt productiua integralis vnitiui integralis vnionis essentialis; & non vt productiua partis eiusdem vnionis esset formaliter augmentationis completiua. Neque res ita se habent, sicut enim in vnione essentiali distinguuntur partes eiusdem vnionis, & vnitiua, per quae hae partes integraliter vniantur, sic in actione terminata ad vnionem distinguuntur partes actionis terminate ad partes vnionis, & vnitiua partium vnionis, & sicuti pars vnionis subiectatur in parte materiae, & materiae partem vniti ad partem formae, sic vnitiuum vnionis essentialis subiectatur in vnitiuo materiae, & illud vniti vnitiuo formae, omnis enim actio habet idem subiectum, ac habet terminum, quem respicit.

De ordine harum actionum disputari solet, de quibus breuiter quid dicendum sit explicabo. Omnes has actiones in eodem instanti temporis existere certum est. Natura priorem esse productionem vnitiui materierum, ex quo ducuntur vnitiuum vnionum, & vnitiuum formae diuisibilis mihi certum est, quia vnitiuum materiae quod est materialis causa vnitiui vnionis, & vnitiui formarum debet prius naturā ad illa supponi, idemque intercedit ordo inter actiones, ac inter illarum terminos reperitur. In sententia, quae asserit formam, & modum vnionis eadem indiuisibili actione produci, dicendum est vnitiuum formarum, & vnitiuum materierum produci eadem indiuisibili actione, & ita nullus ordo in productionibus horum terminorum, quae realiter non distinguuntur querendus est. In nostra sententia, quae asserit vnionem, & formam per distinctas actiones produci eodem modo de his vnitiuis philosophandum est, & aliqua prioritas concedenda actioni, ex vi cuius producitur vnitiuum formarum, quod vt terminus supponitur ad vnitiuum vnionum, quod illius est modus, seu informatio, & à quo non potest separari, hae tamen prioritas propria non est, quia terminus praecise vt terminus vnionis, quae est illius modus, non est propriè causa, neque in aliquo genere causae inluit in talem modum, seu vnionem; nam si comparemus actionem productiua vnitiui formarum cum parte formae denuò producta, cuius est modus, & actionem productiua vnitiui vnionum essentialium cum actione productiua nouae partis vnionis, cuius similiter est modus, seu integralis vnio, eandem prioritatem habent, ac ipsi termini inter se, non propriam, & rigorosam in aliquo genere, sed impropriam eo modo, quo dependet modus à re, seu vnio à termino, à quo separari non potest, vt nuper explicabam.

PUNCTUM III.

De potentia nutritiva, & illius actu.

1 **N**utritio species quaedam est augmentationis, in qua ratio communis augmentationis contrahitur ad specialem rationem augmentationis substantiae viuientis. Hanc augmentationem viuientis, seu nutritionem semper contingere cum aggeneratione nouae partis vnionis, & in compositis, quorum forma est diuisibilis cum aggeneratione partium formae substantialis, dixi iam puncto praecedenti. Terminum per nutritionem productum eiusdem speciei esse cum termino productum in generatione eiusdem viuientis nulli dubium esse potest. Quia terminus

Nn gene

generationis, & terminus nutritionis tantum distinguuntur, sicut distinguitur totum à parte integrali ipsius, eadem enim ratione, quæ generatio respicit totam formam productam in generatione, nutritio respicit partem formæ productam in nutritione cõpositi substantialis, cuius forma diuisibilis est, & eadem ratione, quæ generatio respicit totam formam & vnionem productam, respicit nutritio partem vnionis, & partem formæ productam in nutritione, sed pars formæ non differt essentialiter à tota forma, neque pars vnionis à tota vnione: ergo non differt essentialiter terminus nutritionis à termino generationis. Neque ex eo quod nutritio respiciat vnitiua integritas partis vnionis denuo productæ cum vnione antiqua, & partis formæ productæ cum forma antiqua, aliqua specialis differentia accrescit termino nutritionis, quia in generatione, in qua producitur modus vnionis diuisibilis & forma diuisibilis, producuntur plura vnitiua integralia partium vnionis inter se, & partium formæ inter se, quæ in se includunt forma diuisibilis & indiuisibilis vnio. Actionem nutritiuam, & generatiuam specie distingui, etiam si illarum termini non distinguantur fert communis sententia his validis rationibus stabilita. Generatio est actio transiens, nutritio est actio per se immanens: actio transiens, & actio immanens specie distinguuntur: ergo generatio, & nutritio specie distinguenda sunt. Secundo generatio non est actio vitalis, nutritio est actio vitalis, sed actio, quæ non est vitalis specie distinguitur ab actione vitali: ergo generatio specie distinguitur à nutritione: Generationem non esse actionem immanentem per se notum est: non esse actionem vitalem inferit communis sententia ex eo quod immanens non sit: nutritionem esse tum immanentem, tum vitalem ostendo Controuersia secunda de anima, puncto tertio.

2 Nutritionem fieri quovisque viuens perueniat ad perfectum statum in omnibus partibus notabilibus viuents, seu in omnibus, quæ specialem habent deorganizationem, atque figuram, certum est, videmus enim pedes, manus, brachia, & caput vniformiter difformiter crescere, & omnia ossa vniformiter difformiter augeri quovisque viuens perueniat ad perfectum statum. Dixi nutritionem fieri in omnibus partibus notabilibus viuents, seu in omnibus, quæ specialem habent deorganizationem, quia certum esse existimo, non fieri quovisqueque fit in omnibus partibus quantumvis minimis viuents, quia non omnibus applicatur alimentum, & quia si ita fieret nutritio, vt cuilibet parti quantumvis minimæ, alia adderetur in quocumque nutritionis instanti viuens duplo maius assurgeret. Contingit etiam per accidens notabilem nutritionem fieri in aliqua viuents parte & tunc temporis vix vllam, nullamve fieri in reliquis partibus, vt cum brachium ratione vulneris inficti, aliudve morbidæ qualitatæ, quæ specialiter laborauit nimiam diminutionem passum est, quam reliquæ partes viuents non sustinere, & postea se ad perfectum statum restituit, tunc enim brachium illud nutritur, donec cum alio quod vulnere, morbidæ qualitate non laborauit proportionem seruet.

3 Postquam homo totam expleuit staturam, augeri, & nutrirî secundum partes carneas certum est: dubium verò, an illius ossa nutriantur. Negatiuam partem defendo, quia nunquam videmus hominem postquam ad illum statum peruenit augeri, aut minui secundum altitudinem, quod contingeret si ossa illius minuerentur, quia hominis (idem de quocumque alio viuente sensitiuo dicto) altitudo ex ossium longitudine constat. Non potest dici augeri ossa secundum latitudinem, non verò secundum longitudinem, eadem est enim vtriusque augmenti ratio, ossa enim non crescunt in homine, qui ad statum peruenit, quia extincta humiditate exsiccantur, illorumque clauduntur pori, ita vt non possint alimentum ad nutritionem disponere. De termino magnitudinis & paruitatis tam viuentium, quam non viuentium dicam puncto 5.

4 Ostendam Controu. 3. de anima punct. 2. potentias realiter ab anima non distingui, sed omnes cum illa realiter identificari, & ita iuxta hanc sententiam potentiam nutritiuam à generatiua realiter non distingui perspicuum est. Realiter hæc potentias distinguendas esse ab anima in opinione, quæ potentias superadditas admittit dici probabiliter existimo. Infero hæc distinctionem potentiarum inter se supposita distinctione specifica actuum, quam ostendi, & ex diuersis organis & dispositionibus requisitis ad proprios

actus, nutritio enim fit per intus sumptionem alimentæ, generatio verò per coniunctionem maris, & feminae, & terminum commixtionem. Propter eandem rationem potentias hæc formaliter inter se distingui in mea sententia, quæ illas animæ superadditas non cõcedit, sicut enim ex distinctione specifica intellectuum, & volitionum, & ex diuerso modo, quo hæc actus producuntur potentiam intellectuum, & volitiuam formaliter distinguimus, sic propter eandem distinctionem, & diuersitatem, quæ intercedit inter nutritionem, & generationem illorum principia debemus distinguere.

Addo insuper in sententia, quæ admittit potentiam nutritiuam distinctam ab anima adhuc necessariò dicendum esse ipsam animam immediatè concurrere ad nutritionem, quia terminus per nutritionem productus est substantia, & ita non posse non procedere à principio, quod substantia non sit, quia accidens, quale esset potentia nutritiua superaddita, non potest esse principium adæquatum productioni substantiæ. Insuper in sententia, quam tradidi Controu. 3. Physic. punct. 3. vbi probaui non posse adhuc inadæquate accidens actiue in substantiam influere, ex hoc principio specialiter expugnanda est hæc potentia nutritiua superaddita.

Subtilior alia insurgit difficultas, an videlicet ad nutritionem viuents sensitiui supponatur illius anima tantum formaliter vt nutritiua, seu vegetatiua, an verò supponatur etiam vt sensitiua. Et ratione eadem an ad nutritionem hominis supponatur anima vt vegetatiua tantum, an etiam vt vegetatiua, sensitiua & rationalis. Eadem est difficultas de vtraque anima, idèò tantum rationes dubitandi proponam in anima sensitiua, quæ si formaliter vt sensitiua supponatur ad nutritionem, rationalis vt sensitiua, & vt rationalis ad nutritionem supponatur: si verò sensitiua tantum vt nutritiua supponatur ad nutritionem, & non vt sensitiua, rationalis anima tantum nutritiua, & non vt sensitiua, & rationalis ad nutritionem supponatur. Principium sensitiuum non supponi formaliter vt sensitiuum ad nutritionem sic suadet: sensitiuum vt sensitiuum tantum dicit ordinem ad sensationem, sed nutritio non est sensatio: ergo sensitiuum vt sensitiuum non dicit ordinem ad nutritionem. Maiorem probò sensitiuum vt sensitiuum tantum est principium sensationis, sed principium vt tale principium est tantum dicit ordinem ad illud cuius est principium: ergo sensitiuum vt sensitiuum est tantum dicit ordinem ad sensationem: ergo equus, aut forma equi formaliter vt principium sensitiuum tantum debet supponi ad sensationem. Minor, in qua asseritur nutritionem non esse sensationem in questione non cadit. Consequentia videtur legitima. Oppositam sententiam videlicet ad nutritionem equi debere supponi equum, aut formam equi non solum vt principium vegetatiuum, sed vt principium sensitiuum sic formo. In nutritione ex parte termini producitur portio formæ habentis formaliter virtutem sensitiuam & productio modi vnionis constitutis viuens sensitiuum, & quoddam quasi inadæquatum integraliter viuens quod formaliter est sensitiuum, & habet virtutem sensitiuam: ergo ex parte principij debet supponi formaliter principium formaliter productiuum principij sensitiui, seu huius inadæquati viuents sensitiui quod producitur in nutritione: sed virtus sensitiua substantialis, seu viuens hoc inadæquatum sensitiuum tantum potest procedere à viuente sensitiuo formaliter: ergo terminus iste productus per nutritionem supponit viuens sensitiuum formaliter. Respondetis viuens hoc inadæquatum, seu partem integram viuents sensitiui productam in nutritione supponere ex parte principij sensitiuum eminenter & virtualiter, non verò sensitiuum formaliter, hoc est principium potens producere viuens sensitiuum, seu virtutem sentiendi, non verò formaliter vt potens producere sensationem, sed vt principium sensationis. Contrà: nutritio formaliter est actio vniuersa respiciens terminum eiusdem speciei cum principio, à quo fluit, sed terminus nutritionis est principium productiuum sensationis: ergo supponit principium formale productiuum sensationis.

7 Dicendum est in nutritione equi supponi ex parte principij principium sensitiuum non formaliter sumptum vt principium sensationis, sed ipsum principium formale sensationis materialiter sumptum vt est principium formaliter productiuum alius principij sensationis, quod est supponi principium formale sensationis materialiter sumptum vt tale est, & sumptum formaliter quatenus principium formale

formale aliis viuentis inadæquati habentis similem virtutem sensitiuam ad producendas sensationes. Ad vltimam obiectionem factam numero præcedenti, respondeo terminum nutritionis esse vniuocum suo principio habenti virtutem producendi sensationem, & producendi principium adæquatum sensationis in his duobus prædicatis quatenus termino eadem correspondet, quia virtutem habet producendi sensationem & producendi per nutritionem aliud principium inadæquatum sensationis. Ex his ergo duobus prædicatis quæ vniuocationem fundant inter principium, & terminum nutritionis, terminus supponit formaliter ex parte principij prædicatum, quod fundat vniuocationem in virtute producendi aliam virtutem sentiendi integraliter inadæquatam, seu aliud viuentis sensitiuum integraliter inadæquatum, & materialiter tantum prædicatum aliud, quod fundat vniuocationem in virtute producendi sensationem, & ita nutritio est actio formaliter vniuoca quatenus respicit principium, & terminum, quibus inest virtus producendi aliud principium sentiendi, & tantum materialiter quatenus respicit principium, & terminum, quibus inest similis virtus ad sensationes producendas, terminus enim non supponit formaliter ex parte principij virtutem, quæ fundat hanc vniuocationem, sed quæ priorem illam constituit. Secundum hanc sententiam consentimus argumentis adductis pro priori philosophandi modo, & soluta manent, quæ pro posteriori adduximus.

PUNCTUM IV.

Quomodo differat accretio accidentalis à nutritione.

Accretio quantitativa, & accidentalis, sicuti substantialis augmentatio duplici modo contingit. Primò in non viuentibus per iuxta positionem. Secundò in viuentibus per intus sumptionem hausto alimento, dispensatoque per varias corporis partes, in quibus fit augmentatio quantitativa, quæ propter multa, quæ de augmentatione dicuntur, eodem modo de accretione dicenda sunt, utraque enim secundum easdem partes, & in eodem tempore contingere necesse est, cum quotiescumque nouam materiam acquirit substantia, quæ augetur, illam acquirit quantitate informatam, antiqua si eadem sint accidentia in genito, & in corrupto, vel noua, si resolutio vsque ad materiam fiat in generatione. Eadem enim contingit in nutritione, quæ est quedam quasi partialis generatio substantiæ, quæ augetur, & corruptio alimenti, seu substantiæ ex qua fit augmentum. Solent nonnulli obicere Aristotelem dicentem viuentem semper nutrire, non tamen semper augeri, ex quo inferre volunt nutritionem, & accretionem accidentalem non semper in eodem tempore contingere, & esse actiones realiter distinctas. Verumtamen hoc testimonium Aristotelis ad rem non est, quia cum in nutritione acquiritur noua pars materiæ, hæc debeat informari quantitate, & non possit informari quantitate materiæ antiquæ, quia eadem quantitas, quæ modò materiam hanc informat, non se potest extendere ad nouam materiam priori non relicta, necessarium cum noua parte materiæ nouæ quantitatis debet accrescere viuenti. Aristoteles verò intendit prædictis verbis significare nutritionem fieri in viuentibus aliquando, ita vt non ex vi illius, neque ex vi quantitatis denuo requiritur euadant maiora, quia tantundem amittunt per diminutionem substantialem, & accidentalem, quantum per augmentationem substantialem, & accretionem accidentalem acquirunt. Itaque eodem modo de substantiali augmentatione, & de accretione accidentalis philosophandum est, in ordine ad durationem, & extensionem, & in ordine partes, quibus contingit, neque vnquam augmentatio substantialis sine accretione contingit propter rationem dictam, neque accretio quantitativa sine noua augmentatione, quia nunquam acquiritur noua pars quantitatis, sine noua parte materiæ, neque noua pars materiæ sine noua parte formæ, si forma compositi, quæ nouam materiam acquirit diuisibilis sit, aut sine eo quod forma compositi, si indiuisibilis est, quæ in composito præcessit se extendat ad nouam illam materiæ partem, & ita indiuiduè accretio quantitativa augmentationem substantialem comitatur. Definitur

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

accretio quantitativa: *Motus à maiori ad maiorem quantitatem, & diminutio accidentalis, seu decretio huic accretioni opposita definiri potest: Motus à maiori ad maiorem quantitatem.* Definitiones hæc eodem modo explicandæ sunt, quo explicui puncto definitiones augmentationis, & accretionis substantialis.

Difficultas est, in qua actione formaliter consistat hæc accidentalis accretio, & quæ actiones distinctæ ab illis, quas in augmentatione substantiali annueramus in accidentalis accretione reperiantur. Patres Conimbr. cap. 5. quæst. 14. art. 2. asserunt accretionem esse actionem distinctam ab augmentatione, quam opinionem plures recentiores sequuntur. Accretionem quantitativam non distinguunt ab augmentatione substantiali defendunt Marf. lib. 1. de Generat. quæst. 10. Albert. de Saxonis quæst. 9. quibus subscribunt plerique recentiores asserentes per eandem actionem, quæ substantiale compositum acquirit nouam substantiam absque vlla alia superaddita acquirere nouam quantitatem.

PRIMA CONCLUSIO: In accretione accidentalis non producit noua pars quantitatis. Probatur hæc conclusio ex dictis Controuers. 1. punct. 3. vbi probauimus eandem quantitatem manere in genito, & in corrupto, & ita cum eadem quantitate remanet materia viuenti, quam habebat dum erat sub alimenti forma.

SECUNDA CONCLUSIO: Viuentis habet plus quantitatis non necesse est vniri quantitatem materiæ præexistenti cum quantitate, quæ materiæ partem de nouo acquisitam informat, sed ex eo quod fiat nutritio substantialis, & materia, quæ per nutritionem acquiritur sit informata quantitate dicetur viuentis plus quantitatis habere. Ratio est facilis, quia quantitas illa informans materiam in nutritione acquisitam, etiam si cum quantitate præexistenti non vnatur pertinebit ad illud viuentis, quod ex nutritione resultat: ergo viuentis illud plus quantitatis habebit, ac habebat antea viuentis, quod ad nutritionem supponebatur. Antecedens probos, si modo quantitas mei brachij diuisa esset à quantitate corporis, tam quantitas corporis, quam quantitas brachij ad me pertineret: ergo vt ego habeam plus quantitatis non requiritur totam quantitatem esse inter se vnitam, sed sufficiet informare materiam meam. Idem dicito de quocumque composito siue viuentis, siue non viuentis.

TERTIA CONCLUSIO: Viuentis, seu quodlibet corpus crescens fiat maius quantum, necesse est quantitatem antiquam, & partem quantitatis, quæ illi aduenit inter se vniri, non tamen in vnitione, seu actione, quæ producit talis vnio quantitatum consistet vltimò formaliter, & completiue accretio, quæ subiectum fiet magis quantum. Requirit vnionem quantitatum sic probos: Vt sit maius quantum requiritur maior quantitas, sed vbi non est vnio quantitatis, ad quantitatem non potest esse maior quantitas, quantumuis noua quantitas adueniat, quia plures quantitates non vnitæ non vniam quantitatem maiorem constituent, sed maiorem multitudinem, seu maiorem numerum quantitatum. Secundam partem conclusionis probos. Possent saltem de potentia absoluta vniri quantitates, & non vniri subiecta illarum: sicuti possent vniri partes formæ substantialis non vnito subiecto, sed diuiso in duo extrema, sed tunc non fieret vnum quantum, quod dicit vnum subiectum, & vniam quantitatem; ergo ratio formalis vltimò completiua non consistit in illa quantitatum vnione, siquidem hæc non supponit omnes actiones requisitas vt sit vnum maius quantum.

QUARTA CONCLUSIO: Formaliter & vltimò completiue accretio obiecti primarij & per se quanti consistit in actione, per quam producit informatio, seu vnio inter vnitiuum quantitatum, & vnitiuum materierum, quæ quidem informatio est vnio informatiua inter hæc extrema, & vnio integralis inter informationem, seu vnionem quantitatis antiquæ cum subiecto antiquo, & inter vnionem, seu informationem quantitatis nouæ cum subiecto nouo. Hæc conclusio probanda est eisdem rationibus, quibus probati augmentationem substantialem consistere vltimò completiue in productione similis vnionis inter vnitiuum materierum, & vnitiuum formarum. Recole ibi dicta, & inuenies omnia eodem modo procedere in augmentatione accidentalis, quia sicut terminus illius actionis, in qua constituit substantialem augmentationem, qui est vnitiuum essentialis inter vnitiuum formarum, &

N n 2 mate

materierum respicit quatuor extrema, quorum est modus, duo vnitua relata tanquam materiam, & formam quorum est informatio, & duplicem aliam informationem, seu vnionem quandam inter materiam, & formam antiquam, & aliam inter materiam, & formam nouam, sic terminus huius actionis respicit quatuor alia extrema vnituum materierum, & vnituum quantitarum tanquam materiam, & formam quarum est informatio, & duplicem informationem, quandam inter quantitatem antiquam, & materiam antiquam, & aliam inter quantitatem nouam, & materiam nouam tanquam extrema, quorum integralis vnio, (voco nouam quantitatem, quia nouiter acquiritur non quia nouiter producatur.) Et ita sicuti actio illa vltimò, & completiue constituit vnum subiectum informatum vna forma substantiali substantialiter auctum, ita hæc actio vltimò, & completiue constituet vnum subiectum quantum accidentaliter auctum in ratione quanti.

7 Dabo quintam conclusionem postquam monuerim, consulo me dixisse in actione superaddita consistere formaliter augmentum subiecti primarij, & per se quantitatis, quod non vanè dictum colliges ex his, quæ iam subitio. Duplex est subiectum quantitatis in mea sententia; primum, cui quantitas inhaeret, & cui vnitur immediatè, hoc est, in mea sententia materia prima, cū qua quantitas constituit quoddam concretum accidentale ex materia substantiali & forma accidentali inter se vnitis. Aliud est subiectum secundarium videlicet totum, quod quantum denominatur tantum ratione materię, cui primariò, & per se inest quantitas. Hæc numero quantitas, & hæc numero informatio quantitatis nullam habent connexionem cum toto, quod tantum est subiectum denominationis, sed eadem numero permanebit siue totum permaneat, siue corumpatur dum eadem permaneat materia, licet dum est totum, illud quantum denominet. Ex his infero, & sic

QVINTA CONCLUSIO: actionem illam, in qua constituit vltimam rationem formalem accretionis subiecti primarij quantitatis, seu quanti resultantis ex quantitate, & subiecto primario, non ita intrinsecè & per se vltimò constituit totum substantiale maius quantitatiue, seu accidentaliter, vt non possit non illud constituere maius quantitatiue ex defectu subiecti, seu totius capaxis huius denominationis, quam extrinsecè quantitas toti substantiali communicat. Si tamen tale totum subsistat ex vi illius actionis accidentaliter, & quantitatiue augebitur. Rem probo, & explico. Possent de potentia absoluta hæc materia quanta hominis vniri illi materię primæ quantæ alimenti & quantitas hominis, & quantitas alimenti inter se vniri, & vnituum quantitarum vniri vnituo materierum, & illud informare, & adhuc materia alimenti retinere formam alimenti, & materia hominis formam hominis: in hoc casu esset vnum maius quantum ex materia hominis, & alimenti vnitis, quæ constituerent vnā materiam, & ex quantitate hominis, & alimenti, quæ constituerent vnā quantitatem integraliter vnitā, & ex vna materia, & vna quantitate vnitis resultaret vnum concretum quantitatum tantum ex materia, & quantitate hominis. Tamen hoc casu non dicitur compositum aliquod substantiale auctum quantitatiue, quia quantitas alimenti, etsi informet materiam vnitā materię hominis, non informat materiam hominis, & ita non constituit hominem magis quantum. Illa verò quantitas cum illa informatione, quam habet ad materiam nulla alia adueniente denominabit hominem auctum quantitatiue ex eo præcisè, quod forma hominis se extendat ad quantitatem, quam afficit quantitas, & illa denominatio formaliter à quantitate informante materiam, & non ab alia extensione formæ proveniet, quia hæc extensio tantum constituit subiectum, quod quantitas denominet quantitatiue auctum, quam denominationem ex defectu subiecti antea non tribuebat, quia formæ non supponunt per se subiectum, quod secundariò denominant. Sicuti in opinione, quæ asserit omnia accidentia præsentari per præsentiam huius quantitatis ex vi præsentię, quam modò habeo, constituitur formaliter præsens calor mihi adueniens, qui erit subiectum huius denominationis præsentis provenientis à præsentia, quæ nunc est tanquam à forma, licet per se non supponat calorem quem postea tanquam forma constituet præsentem cum modò existat sine calore, quia forma tantum supponit subiectum, quod primariò affi-

cit, non verò quod afficit secundariò, & potest non afficere.

Ex his inferes, accretionem, ex vi cuius resultat vnum maius quantum importare præter actionem vnituum materierum, quæ communis est augmentationi substantiali, actionem productiuam vnionis informatiue inter vnionem integram materierum, & vnionem integram quantitatum, quæ informatio est integralis vnio inter informationem, seu vnionem informatiuam quantitatis antiquæ cum materia antiqua, & similem vnionem, seu informationem quantitatis nouæ cum materia noua. Inferes similiter per nutritionem, seu augmentationem substantialem, in qua acquiritur materia quantificata præcisè vnione inter ipsas quantitates, & omni actione tunc nouiter terminata ad partem, seu ad vnituum quantitatis, compositum acquirere plus quantitatis, quia acquisitio materię est acquisitio omnium, quæ materię insunt, & toti accrescunt omnia, quæ afficiunt materiam, quam acquirunt: Motusque nutritionis, seu augmentationis substantialis primariò, & per se terminatur ad substantiam, & secundariò ad quantitatem, & ad omnia accidentia, quæ insunt substantię, ad quam primariò terminantur, rectè enim potest idem motus plures terminos respicere, quemdam per se, & primariò, & alios secundariò ratione primarij.

PUNCTVM V.

De termino augmentationis, & diminutionis substantialis compositi.

Coincidit hæc quæstio in illam, quæ diuersis vocibus inquiri solet de terminis magnitudinis, & paritatis substantię, augmentatio enim, & diminutio eisdem terminis cingitur, quibus compositum augendum & diminuendum circumscribitur, & non aliis. Vnde si compositum in infinitum potest extendi, in infinitum augeri poterit: & si in quacumque materia minori, & minori in infinitum potest conseruari, in infinitum poterit minui. Neque diuersa est difficultas de augmentatione substantiali & de accretione accidentali, quia semper indiuiduè coniunguntur, idè ne absque vtilitate terminos multiplicem, nomine augmentationis de substantiali, & accidentali disputationem instituiam. Iuxta opinionem Aristotelis circa continui compositionem duplex terminus necessariò assignandus est, quidam intrinsecus, extrinsecus alius tam in augmentatione, quam in diminutione rerum. Terminus intrinsecus augmentationis est ille, quem substantia potest attingere, & vltra quem non potest se extendere: verbi gratia, suppone tibi hominem posse replere statum nouem palmorum, & illam non excedere vltimum terminatum noni palmi, erit terminus intrinsecus hominis, & hic terminus magnitudinis vocatur ab Aristotelicis *maximum quod sit*, id est maximum incrementum, quod potest attingere. Terminus extrinsecus est ille, quem non potest attingere compositum, potest tamen replere quemcumque infra illum assignatum: verbi gratia, suppone hominem non posse crescere vsque ad nonum palmum complendum, & posse extendi in quacumque quantitate non attingente vltimum completium noni palmi; tunc dicitur homo extrinsecè terminatus versus magnitudinem, cuius terminus extrinsecus erit vltimum completium noni palmi, & terminus iste dicitur: *minimum quod non*, id est minimum incrementum, quod non potest attingere homo, quia omnia, quæ sub illo sunt potest homo replere, & omnia, quæ sunt supra illud, sunt illo maiora. Similiter versus magnitudinem duplex est terminus, quidam extrinsecus, alius intrinsecus: terminus intrinsecus est vltimus, ad quem per diminutionem potest substantia reduci: verbi gratia, pone formam hominis posse introduci in materiam vnius palmi, & non in aliam minorem: vltimum complementum vnius palmi erit terminus intrinsecus hominis versus paritatem, & hic terminus dicitur: *minimum quod sit*, hoc est minimum incrementum quod potest habere homo. Terminus extrinsecus est ille, in quo non poterit conseruari compositum, bene tamen in alio quocumque maiori: verbi gratia, suppone formam hominis non posse conseruari in materia vnius palmi, bene tamen in

In alia maiori, tunc terminus extrinsecus paruitatis erit ultimum completum vnius palmi, & terminus iste extrinsecus paruitatis dicitur maximum quod non, hoc est maximum incrementum ex his, quæ non sufficiunt ad formam hominis, quia omnia, quæ sunt supra illud, sufficiunt & omnia, quæ sunt infra illud, sunt illo minora. Neque ex termino extrinsecus magnitudinis, aut paruitatis possumus secundum sententiam Aristotelis terminum intrinsecum adducere, vel è contrâ, quia si terminus extrinsecus sit duplex palmus, quem non potest substantia attingere, terminus intrinsecus, si aliquis esset futurus, erat ille, qui immediatus est duplici palmo, at in sententia Arist. nulla quantitas non attingens extensionem duplicis palmi est immediata duplici palmo, sed quæcumque assignetur duplicem palmum, seu quæcumque aliam extensionem non attingens, potest magis, & magis in infinitum augeri, quin perveniat ad duplicem palmum, seu ad illam extensionem determinatam, quam, non attingit, quia portio illa, quæ deficit ad expellendum duplicem palmum, seu quæcumque aliam extensionem determinatam, quantumvis minima sit, est diuisibilis in infinitum, & potest in infinitum desumi ex illa, & adhuc aliud sumendum restare: ergo ex termino extrinsecus versus magnitudinem, aut paruitatem substantiæ assignato non potest inferri terminus intrinsecus eiusdem substantiæ, neque ex termino intrinsecus terminus extrinsecus, quia sicuti inter quæcumque extensionem non attingentem duplicem palmum, & extensionem, quæ illam attingit potest alia assignari maior illa extensione assignata duplicem palmum non attingente, & minor extensione attingente duplicem palmum, sic similiter inter extensionem duplicis palmi, & quæcumque aliam excedentem extensionem duplicis palmi, potest alia assignari maior extensione duplicis palmi, & minor extensione prius assignatâ excedente duplicem palmum & sic in infinitum. In sententia Zenonis facilius res agitur, omne enim quod terminum extrinsecum habet, quem non possit attingere versus magnitudinem, aut paruitatem, terminum intrinsecum habere necesse est, quia cuiusque quantitati potest assignari alia minor, & alia minor tali quantitate, inter quam, & maiorem, & minorem assignatam nulla possit assignari maior vna, & minor alia quantitate, & ita quantitas illa immediata termino extrinsecus terminus erit intrinsecus, & quantitas immediata termino intrinsecus terminus extrinsecus erit. Exempli gratia, sit terminus intrinsecus hominis, quem non possit excedere quantitas constans mille indiuisibilibus, quantitas constans vno indiuisibili supra mille erit terminus extrinsecus magnitudinis. Sic terminus extrinsecus quantitas constans decem indiuisibilibus supra mille, terminus intrinsecus erit quantitas constans novem indiuisibilibus supra mille, seu indiuisibile, quod complet hanc quantitatem, & sic de terminis paruitatis.

Vientia nullum sibi præfigere terminum intrinsecum magnitudinis, aut paruitatis defendit Venetus lib. 1. Physic. cap. 4. Communis sententia terminum intrinsecum magnitudinis & paruitatis viuentibus assignat. Hanc defendunt Patres Combric. lib. Physic. cap. 4. q. 1. art. 7. P. Rub. ibid. quæst. 1. & apud hunc D. Thom. Scot. Richar. Greg. Durand. Caiet. Ferr. & alij. Circa eadem vientia sunt nonnulli qui asserunt via generationis, seu in bono statu ut ipsi loquuntur vientia habere hos terminos intrinsecos, via tamen corruptionis, seu in malo statu illis non circumscribi, sed tantum habere terminos extrinsecos, videlicet quantitatem aliquam, ad quam non possunt diminui. Circa non vientia certum est saltem habere pro termino extrinsecus magnitudinis quantitatem infinitam, quam non possunt attingere, & pro termino extrinsecus paruitatis in opinione Philosophi indiuisibile, ad quod reduci nequeunt, quia nequit dari indiuisibile separatum. Difficultas potest procedere inter quantitatem finitam diuisibilem an habeant terminum aliquem intra totam huius diuisibilis finitæ latitudinem. Communis sententia negat substantiis non viuentibus terminum tam intrinsecum quam extrinsecum magnitudinis intra mensuram quantitatis diuisibilis finitæ, omnes enim fateantur ignem, & alia huiusmodi composita posse supra quæcumque finitam extensionem rursus extendi, illamque superare. Circa terminum paruitatis nonnulli apud Rubium supra defendunt etiam non vientia habere terminum intrinsecum paruitatis. Alij tamen plures hunc terminum negant non vi-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

uentibus, qui tantum pro termino extrinsecus extensionem indiuisibilem assignare videntur, ac proinde intra extensionem diuisibilem finitam nullum terminum neque intrinsecum, neque extrinsecum magnitudinis, aut paruitatis substantiis non viuentibus prædicti auctores assignant.

PRIMA CONCLUSIO: Intra extensionem diuisibilem finitam assignandus est aliquis terminus siue intrinsecus, siue extrinsecus versus magnitudinem, & paruitatem omnibus viuentibus. Ratio omnibus familiaris efficax est. Partes viuentium habent inter se mutuam connexionem, & quædam dependent ab aliis: ergo non possunt esse in quacumque maxima distantia, si enim per integram leucam distaret stomachus à capite, longa cibus restaret via postquam viuens illos deglucisset donec ad stomachum accederent, tardèque manus capiti succurreret, si spatium leucæ illi esset percurrendum antequam auxilium capiti perveniret, neque possent à moto aere pulmones cordis atterere ardorem si nimis ab illo distarent, quapropter terminum magnitudinis viuentibus adscribi necesse est. Paruitatis terminum ipsorum deorganizationis arguit, non enim possent tam diuersa organa, & dispositiones adeo heterogeneæ in quacumque quantitate minima reperiri, neque possent temperamenta adeo inter se diuersa sicuti sunt temperamentum cerebri, & calcis non per notabile aliquod spatium sine mutua ipsorum clade distare.

SECUNDA CONCLUSIO: In opinione Zenonis vientia omnia terminum habent intrinsecum, & extrinsecum magnitudinis, & paruitatis: in opinione verò Aristotelis nulla est ratio, quæ probet vientia potius habere terminos intrinsecos, quam extrinsecos, vel potius extrinsecos, quam intrinsecos gaudere. Prior pars conclusionis probatur ex dictis supra ubi probavi in opinione Zenonis rectè terminum intrinsecum ex extrinsecus inferri, & extrinsecum ex intrinsecus. Posteriores trado ex eo quod nullam rationem inuenio, quæ potius hos terminos, quam illos in viuentibus ostendat, satis enim illorum deorganizationi, & partium heterogeneitati consultum esse videtur, tam per terminos extrinsecos, quam per intrinsecos: terminos intrinsecos aptos esse ad illorum naturam procreandam, & conservandam fert omnium sententia. De terminis extrinsecis idem suadeo: eo ipso quod homo debeat excedere tantam quantitatem, g. semivivum, & non possit attingere aliam, v.g. decem palmos, non poterit ita minui ut ratione paruitatis non possit totam deorganizationem partium proportionatâ distantia retinere, neque ita augeri ut ratione distantia vnius partis ab alia, non possit quælibet debitum influxum alij exhibere: ergo sufficienter prouisum est per terminos extrinsecos viuentium deorganizationi, & partium, illarumque consensui, temperamento- rumque proportioni.

TERTIA CONCLUSIO: Non vientia per se loquendo nullum sibi terminum præfigunt magnitudinis, aut paruitatis intra diuisibilem, & finitam extensionem. Primam partem defendunt fere omnes auctores, & facile suaderetur, quia cum horum partes non dependant inter se, neque deorganizationem habeant nullum est caput, ex quo repugnet illarum quælibet quantumvis pluribus vnita alij, & alij parti eiusdem rationis vniri. Confirmatur: sumo ex quocumque igne quantumvis magno quatuor ultimas partes (sic dicito de quocumque alio composito) videlicet partem C, D, E, F, vnitas ordine positas, pars F tantum est vnita parti C, & pars E, parti D, & parti F, posita hac vnione ex eo quod D, vnatur, vel non vnatur parti C, & aliis quibuscumque anterioribus, pars F non habet diuersam aptitudinem, neque impedimentum aliquod ut vnatur alij parti aduenienti: ergo quantumvis crescat compositum illud per partem anteriorem poterit per posteriorem eodem modo accrescere, quælibet enim pars adueniens eiusdem est rationis cum anteriori, & sicuti pars anterior potuit terminare vnionem cum adueniente, sic adueniens poterit terminare vnionem cum alia adueniente respectu cuius sit anterior, vnio enim præcedens, seu mediata, quæ maior est, quo plures partes adueniunt, conditio non est, ut modò dicebam ad hoc ut hæc pars vltima alij aduenienti vnatur. De terminis paruitatis licet non adeo certus idem affirmo, quia nullâ inuenio rationem ad hos terminos non viuentibus præfigendos intra diuisibilem quantitatem, & in sententia Zenonis facile est rationem reddere cur non possit substantia aliqua in indiuisibili materia conservari, cum secundum hanc opinionem indiuisibile separatum non repugnet. Affirmat

N n 3 multi

multi substantiam non viuientem non posse in quacunque minori, & minori extensione conservari, quia non in quacunque potest operari, & conservari nequit in extensione, in qua non potest operari, quia esse est propter operari. Mihi certum non est non posse substantiam aliquam conservari in extensione adeo exigua, in qua operari non potest, sicuti conservatur qualitas adeo remissa, ut nullam possit exercere actionem. Neque certum est non posse aliquam actionem procedere à substantia in minori & minori extensione constituta, probabilius enim est quamlibet particulam ignis separatam, & indivisibilem eiusdem, si hoc separari potest, producturum in se suam praesentiam, & proprium calorem omnesque sui passiones, quia extensio si necessaria omnino est ad operandum in subiecto extraneo, ideo est, quia ad applicationem requiritur, ignis autem, & quodlibet aliud agens quacunque extensione seclusa habet applicationem requisitam ad agendum in se ipsum.

PUNCTUM VI.

De alimento, & causa necis humanae.

- 1 **V**iuens alimento indigere, ut ad perfectum statum perveniat, & postquam ad illud pervenit, ut resarciat damna ab extrinsecis agentibus illata per se notum est, difficultas est an postquam ad perfectum statum pervenit, illo per se indigeat, non solum ne ab agentibus extrinsecis corrumpatur, sed etiam ne natiuus viuentis calor absumat humidum radicale, & ne haec viuentis partes ita agant in alias heterogeneas, ut illarum temperamentum dissolvant, earundemque materiam ad aliam formam disponant, quā adveniente destruunt partes formae, quae in illis materiae partibus praesens, & consequenter aliae compartes, quia non possunt haec partes animae sine illis subsistere.
- 2 **P.** Hurtad. disp. 2. sect. 10. subsect. 3. asserit viuens in statu perfecto constitutum tantum indigere alimento ne ab illis extrinsecis principiis corrumpatur, puta enim non posse aliquam partem viuentis alius compartis destructionem machinari, neque posse mortem in hoc sensu à principio intrinseco procedere, quia quaelibet pars in totius compositionem, & non illius destructionem ordinatur, ac proinde non potest pars viuentis, quae per se est causa componens, & conservans totum illud destruere. Ratio haec nullius est momenti, quia pars per se & ex sua natura ordinatur ad componendum, & conservandum totum, quatenus verò agit in partem vicinam potest esse causa corruptionis illius, neque ex hoc infertur intendere sui corruptionem, quia etiam destructa aliqua comparte destruitur totum, & consequenter pars, quae fuit causa destructionis totius, quod fit praeter intensionem partis, quae tantum per se intendit sibi assimilari partem vicinam, ex qua assimilatione per accides eiusdem partis corruptio sequitur. Nec minus friuolum est, quod docet Hurt. videlicet quamlibet partem praeter propriam temperiem, quam in ordine ad se requirit habere aliquem excessum quem possit amittere in pugna, quā habet cum alia parte vicina, ut illa amissa maneat in statu naturali. Quia postquam pars amisit gradum protuberantem, & redacta fuit ad temperamentum, quod exposcit in ordine ad se, adhuc manet dissymbola parti vicina, & manet in eadem pugna cum illa, in qua necessariò aliquando deperdet aliquid proprii temperamenti requisiti ad sui conservationem. Neque ut pars viuentis aliquos gradus cuiusvis qualitatis innatae abque sui corruptione possit deperdere, necessum erat aliquos illi designari ultra illos, quos exigit in ordine ad se, quia non eo ipso quod pars viuentis amittat quēcunque gradum, ex his quos exposcit, ut bene se habeat in ordine ad se, statim corrumpitur: potest enim sine aliquibus, ex his, quos ita exposcit, & cum aliis contrariis, quos non sine violentia patitur, conservari, sicuti conservatur aqua cum aliquibus caloris gradibus, non enim omnes gradus qualitatis, quos exposcit substantia ut bene se habeat in ordine ad se, & in ordine ad suas operationes sunt, sine quibus conservari nequit.
- 3 **M**elius communis sententia tenet viuens indigere alimento, ut natiuus calor illud depascat, & ita non agat humidum radicale, hoc est in alias partes spermaticas viuentis valde humiditas, & non adeo calidas, quas corrumpere breui tempore si in illas ageret, & consequenter totum periret viuens. Suadet hanc conclusionem nimis calor vi-

uentibus innatus, ratione cuius necessaria illis est respiratio, ut aërem cor ambientem iam calidum admoveant, & alium magis temperatū attrahant, quo nimius cordis calor attemperetur, & ipsum cor, partēque illi vicinae aeris refrigerio recreentur. Ob eandem rationem cordi fuerit prouisa dux alula, seu flabella, quae continuo motu nouum aërem cordi subministrant. Neque alia potest assignari ratio propter quam adeo auidē viuens innato appetitu alimentū exposcat, sine quo pernotabili aliquo tempore subsistere non valet. Quia etiāsi adolescentes alimento indigent, ut ad perfectum virorum statum promoueantur, non ideo adolescens periret, etiam si materiā non haberet, quā augeretur, quia sicuti adolescens duodecim annorū illos pergit cū paucioribus substantiae partibus illis quas habet, dū illos explet, sic posset sine nouo augmento per integrū annū durare, quod perspicuū est, quia saepe adolefēs post notabile aliquod tempus nullū recepit augmentum si computentur partes, quas acquisiuit cū illis, quas amisit, imò saepe sunt longē plures partes, quas per integrū mensem deperdit, quā sunt illae, quas nutritiua virtus elaborauit, quo tempore sine alimento non posset subsistere: ergo nō ex eo nequit sine alimento viuere, quia exigit augeri. Neque precise viuens alimento indiget, ut resarciat dāna illata ab externis agentibus, & se ab illis impetentibus illarum tractetur, quia si ex hoc capite praecise sine alimento viuere non posset homo bene nutritus dici posset impraeus viuere, dū agentia extrinseca ablumebant partes illius, quibus antequam pinguesceret macer subsistebat, non enim sepe extrinseca agentia adeo actiua sunt, ut valeant viuēs optimē nutritum infra materiē illā constituere, sub qua posse viuere experientia monstrauit. Neque credi potest viuens in vacuo constitutum, vel quouis alio modo ab actiuitate extrinsecorū agentium absolutum posse per longum tempus sine alimento conservari, quod haberet, si alimentotantum indigeret, ut se ab extrinsecis agentibus seruaret incolumē. Vltimò audiēdi non sunt, qui asserunt viuens nō posse pati secundū aliquas partes ab aliis et si heterogeneis, quia excessus, quem habet haec pars respectu alius immediatē sufficiens non est, ut agat in illā, quia in omnibus partibus gradatim fit qualitatis excessus per gradus valde exiguos. Hic dicendi modus omni fundamento destitutus est, & ita ad difficultatē, in quam se gratis coniiciunt, asserentes viuens non posse secundū aliquas partes ab aliis heterogeneis pati excogitatus, insuper illū impugnat manifesta experientia, qua videmus partes heterogeneas viuētis magnopere calore excedi ab aliis valde propinquis, in quā exigua distantia non potest excessus assurgere. Ex his infero: viuens alimento indigere ut ad perfectum statū perducat, & iam ad hunc perductū, ut reparet damna illata ab extrinsecis agentibus, insuper ut illius natiuus calor agat in alimentū, quo deficiente ageret in humidū radicale, & illius destrueret substantiam, & consequenter totum viuēs, quia reliquae partes sine illis, quas absumeret calor nō valerēt conservari, ex quo capite omni viuēti mortē contingere necesse est, quia etiam si alimentū impediāt ne totā suam actiuitatem partes heterogeneae viuētis circa alias compartes exerceant, nihilominus sufficiens nō est, ne aliquantulum ipsae partes inter se agant, & repantur, moraliter enim impossibile est applicari alimentum, quod ita praecupet actiuitatem natiui caloris, ut huic virtuti non supersit ad agendum in aliis partes viuētis minus calidas. Secundò et si alimentum penitus impediret ne partes heterogeneae viuētis mutuo repareretur, cū alimentum per se mortem afferat ipsi viuēti, indigentia alimentū necis alia causa esset, quia esset causa applicationis alimentū, quod mortem inferret viuēti.

Dixi alimentū per se hoc est ratione suae actiuitatis esse causam necis: hoc est omnino certū, quia cum hoc habeat qualitates contrarias viuēti, dum viuens agit in illud ab eodem reparatur, & aliquid amittit, quod continua pugna, assiduaque reactione, ita viuētis infringit vires, ut paulatim languescat, donec ita debiles fiant, ut non possint alimentū in se conuertere, neque aliquid amissi roboris recuperare. Adde viuens non totum alimentū in se conuertere, sed plura ex illo excrementa esse residua, quorū vi antequā expellantur, proprii temperamenti non leuem patitur iacturam. Deinde non ita perfectē expultrice virtute expelli valet, ut illorū aliquid intestinis adhærere non remaneat, neque viscosa flegmata possint ita excuti, ut stomachū omnino illis purgatum, mundumque relinquatur, si enim cū aquam

à vase vitreo, in quo continebatur diffundimus, postea guttulas quasdam reperimus vasi adhæsisse, quomodo fieri potest, vt materia adeo, crassa, atque viscosa tot commeeet amictus, quin multum illius expultricem virtutem subterfugiat, intusque remaneat.

Difficultas esse potest an præcisè quocumque alio capite secluso, homo, eo ipso quod nutriatur debeat mori. Negat Arriaga disp. 1. sect. 4. subsect. 4. quia putat posse hominem vno alimento recuperare damnum ab alio illatum, ita vt post longam nutritionem, & diurnam pugnam inter alimentum, & viuens, nihil amiserit proprii temperamenti ex vi actionis, & reactionis. In confirmationem huius adducit fructum ligni vitæ habentis naturalem virtutem, vt in perpetuum vitam hominis sustentaret, vt testatur P. Molin. r. p. de opere sex dier. disp. 26. vbi oppositam sententiam improbabilem esse affirmat. Non nimis consequenter suam sententiam probat Arriaga virtute arboris vitæ, cum ipse dicat hominem vtentem semper eisdem cibis non posse non illis necari, ex quo inferitur hominem semper vtentem fructu arboris vitæ, & non alio cibo naturaliter esse moriturum: ergo tenetur fateri ipse Arriaga virtutem arboris vitæ non esse naturalem, siquidem homo, qui illo vesceretur, non indigeret aliis cibis corrigentibus damnum illatum à fructu arboris vt perpetuo viveret.

Melius affirmat Hurtad. cum communi sententia disp. 1. sect. 9. §. 139. nullà naturali substantiā posse hominem alii, quin ab ipsa paulatim necetur, quia omne alimentum conuertendum est à viuentem in propriam substantiam, ex quo inferitur habere contrarias qualitates, quibus agitur viuens, & aliquid amittit proprii temperamenti, quia eo ipso quod viuens alimentum vincat, aliqualem victoriā ab alio reportat alimentum, duo enim contraria mutuo pugnancia mutuo patiuntur. Ad illud quod adducit Arriaga de ligno vitæ respondet Hurt. talem virtutem non fuisse naturalem, & ita sensisse Bonau. Caiet. Bed. & D. August. lib. 3. de ciuit. Dei. c. 2. cuius verba apud Hurtad. inuenies. Illud verò quod docet Arriaga videlicet posse hominem vno alimentum separare damnum illatum ab alio falsum est, quia aliquando peruenit homo ad statum, in quo non possit damna ab alimento illata rescire, quia postquam homo peruenit ad statum, alimentum non potest illius augere vires, postea verò cum incipit ab statu declinare, non potest virtute alius alimenti vires deperditas recuperare, quia etiā hoc secundum alimentum, æquè imo magis proficuum sit, quam primum fuerit notium, iam viuens virtute caret, vt possit vt virtute illius alimenti in proprium suum commodum, vt quod amiserat, resciat.

Ex his concludit hominem naturaliter mori necesse esse, tum propter partes heterogeneas, quibus constat, quarum vna agit in aliam, illiusque temperamentum dissoluit sine quo non potest subsistere vno inter materiam, & formam, tum propter indigentiam alimentis, à quo, & ab excrementis, quæ ex illo superfluum paulatim innatum homini, & cuiusque viuenti temperamentum absumitur. Necesse, quæ ab his causis procedunt naturales appellare consequimus, quatenus naturale significat id, quod vi naturalium causarum contingit, & in hoc sensu mors homini naturalis dicitur, non quatenus naturale violento opponitur, & dicit esse iuxta propensionem, & exigentiam naturæ, certum enim est nihil appetere propriam destructionem, & non esse sui, & quatenus mors est contra hanc exigentiam conseruationis, & propensionem in proprium esse viuents, mors omnis violenta dici potest: iam verò vltius inualuit necesse violentas appellari, quæ ab aliqua causa extrinseca non regulariter adueniente procedunt videlicet vulnere aliquo inflicto, fulminè de celo iacto.

CONTROVERSIA IV.

De termino alterationis secundum se sumpto, seu de qualitate.

ACTIO, per quam subiectum aliter se habet ac antea seu quod alterum instituitur, alteratio dicitur, quæ essentialiter mutationem includit. ad hoc enim vt subiectum aliter se habeat modo ac antea, requiritur necessariò antea

non habuisse aliquid, quod modo habet: ergo requiritur priuatio præcedens illius formæ, qua modo alteratur: ergo requiritur inductio formæ cuius priuatio præcessit in subiecto, in qua tota ratio mutationis essentialiter constituitur.

Mutatio qualibet lato modo alteratio dici potest, nihilominus propria alterationis ratio mutationem substantialem excludit ex mente Aristotelis asserentis mutationem substantialem constituere subiectum aliud, accidentalem verò alterum seu alteratum. Vnde alteratio essentialiter dicit mutationem accidentalem, hoc est terminatam ad accidens à substantia distinctum. Insuper placuit Philosophis nomen alterationis strictè sumere pro mutatione terminatà ad qualitatem, & aliquando strictius pro mutatione traditā non ad quamcumque qualitatem, sed tantum ad qualitatem habentem contrarium, & subiecti corruptionem. Disputationem instituiam de alteratione terminatā ad qualitatem habentem contrarium, & illo carentem. Sunt enim multa disputanda vtrique communia, quorum illa quæ ad naturam termini spectant claudet hæc Controuersia.

PUNCTVM PRIMVM.

De intensiōe qualitatis.

Qualitatem intendi sensuum euentiā compertum est: videmus enim calorem augeri, & lucem fieri maiorem. Insuper fide constat hominem iustum per bona opera recipere augmentum gratiæ, cui intensior visio beata correspondet, difficultas est quomodo qualitas intendatur, an per aduentum nouæ qualitatis, an per maiorem radicationem, an per maiorem expulsionem contrarij, an per additionem gradus ad gradum.

§. I.

Statuitur intensio qualitatis.

Duplex augmentum reperitur in qualitatibus: extensuum per diuersas partes subiecti, intensuum in eodem subiecto indiuisibiliter sumptis, & tertium aliud obiectuum in nonnullis qualitatibus, quæ extrinseca obiecta respiciunt, sicuti in speciebus impressis, & in habitibus, quæ ad plura, pauciorave obiecta extenduntur, quædam enim Angelorum species plura obiecta representant, quæ in homine non nisi pluribus speciebus possunt representari. Augmentum extensuum commune est quantitati, & formis materialibus substantialibus, quæ per plures partes subiecti extenduntur. Augmentum obiectuum propriè intensuum non est, quia etiam fiat in eadē parte subiecti, dum idem indiuisibile obiectum non respicit, non reddit qualitatem intensam, quia eademmet indiuisibilis qualitas absque vilo augmento plura obiecta valet respicere, sicut eademmet anima potens est producere plures actus. Quod si diuersæ qualitates diuersa obiecta respiciant, qualitates aliquam rationem intrinsecam diuersam habebunt, ratione cuius non possint eandem intensiōem constituere, de hac extensione obiectiua agendum est Controuersia 12. de anima, vbi in speciebus impressis disputabo, solum intensuum augmentum factum in eadem parte subiecti qualitatis nullum extrinsecum obiectum respicientis, sicuti est calor vel idemmet indiuisibile pertingentis, sicuti est visio Dei quæ circa idemmet indiuisibile obiectum magis, & magis crescit, ad hanc disputationem spectat.

Hoc intensuum augmentum, ita proprium est qualitatis, vt nulli alij entitati conueniat, quod faciliè in entitatibus aliorum prædicamentorum probabitur, si rationes formales aliarum inspiciamus. Quantitatis effectus est constituere partes subiecti non penetratas, quamlibet omnino extra locum alterius, quem non posse recipere magis, & minus per se patet, quia pars substantiæ, quæ omnino est extra locum alius partis, & nihil spaij habet commune cum illa, non potest esse magis extra illam: ergo quantitatis effectus substantiæ communicatus non potest aliquid augmentum recipere: ergo quantitas non potest

Nn 4 intendi